UFIZI DI CONGRATULAZIONE ALLE REALI ALTEZZE DI FRANCESCO 3. DUCA DI LORENA E...

Università dello Studio di Pisa

REALE ALTEZZA.

'Accoglimento clementissimo, e l'incomparabile graziosissima Risposta, di cui la Reale Vostra Altezza *si degnò di onorare gli Ufizi di Congratulazione, che a nome di questa Università meco unita ebbi la sorte di umiliarvi per la felicissima, e desideratissima Vostra venuta in Pisa, mi dà il coraggio di presentarvegli anche in istampa, insieme con quegli, che per la medesima Università*

godei di avanzare anche al REALE VOSTRO CONSORTE, *ed agli altri* SERENISSIMI PRINCIPI, *sperando, che saranno altresì graditi dal Pubblico, il quale non meno, che la detta Università, stato è rapito, non che sorpreso, dalle ammirabili, sovrumane, ed amabilissime Vostre Prerogative, che vi fanno altamente distinguere, e ravvisare per quella* GRAN SIGNORA, *che siete; onde stupefatto ognuno esclama:* *

Mira quant' ELLA piatosa & umile
Saggia cortese nella sua grandezza.

Co' quali sentimenti di ammirazione, e di ossequio anch' io profondamente alla REALE VOSTRA ALTEZZA *inchinato mi glorio di essere*

DI VOSTRA ALTEZZA REALE.

Pisa 16. Marzo 1739.

Umilissimo, Servo
Don Virginio Valsechi Abate Casinense, e Prof. di Sac. Scr. e Stor. Eccles. nell' Univ. di Pisa.

* Dant. Canz. 1. Stan. 4.

OB SUCCESSIONEM REGIÆ CELSITUDINIS

FRANCISCI III.

DUCIS LOTHARINGIÆ BARII &c.

IN MAGNUM DUCATUM ETRURIÆ

Gratalatio habita nomine Academiæ Pisanæ die 1. Augusti anni 1737. a Domno Virginio Valsecchio Abbate Ord. S. Bened. Congr. Casin. & in eadem Acad. Sac. Script. & Hist. Eccles. Profess.
AD PRINCIPEM DE CRAON.

PRINCEPS AMPLISSIME.

PISANA Academia ad TE NOS legavit, ut Tibi testaremur incredibilis voluptatis, & lætitiæ sensum, quo adfecta est, cum FRANCISCUS III. Dux Lotharingiæ MAGNUS Etruriæ Nostræ Dux contigit: rata, quemamodum ejus Inclyta Gens totis octo sæculis summa sapientia Lotharingiam gubernavit, & Subditorum animos mirum in modum sibi perpetuo devinxit, ita Illum, qui Regalis Stirpis suæ Heroas cum ingenii, tum liberalium disciplinarum dotibus longe adeo antecellit Etruriam Nostram,

No tramque ipſam Academiam ſuo eſſe Imperio beaturum. Tot vero præclariſſimis virtutibus inſtructum Eum eſſe, Tibi potiſſimum, PRINCEPS EXCELLENTISSIME, acceptum referimus, cum Tibi, Tuæque prudentiæ, & ſolertiæ teneris, ut Græci dicunt, ab unguiculis fuerit commendatus. Rogamus Te, VIR PRÆSTANTISSIME, ingenuos hoſce Academiæ Noſtræ ſenſus REGIÆ MAGNI DUCIS Noſtri CELSITUDINI patefacere, ne graveris. agaſque, ut Regale ejus, Auguſtumque Patrocinium, quod ſummopere cupit, eadem experiatur. ſicque in dies uberiores Sapientiæ, & omnigenæ eruditionis fructus edat, Eique cum Poeta canat[a]:

Namque erit ille mihi ſemper Deus, illius aram
Sæpe tener noſtris ab ovilibus imbuet agnus.

[a] Virg. Eccl. 1.

AD REGIAM CELSITUDINEM

FRANCISCI III.

DUCIS LOTHARINGIÆ BARII &c.

ET MAGNI DUCIS ERTRURIÆ

Ob faustum Ejus Adventum Pisas, Gratulatio habita nomine Academia Pisana a Domno Virginio Valsechio Abbate Casinensi &c.

REGIA CELSITUDO.

UT miro, & incredibili adfecti gaudio fuimus, cum primum singulari Dei Optimi Maximi munere MAGNUS Etruriæ Nostræ DUX contigisti, ita modo Tuam ob Regalem, jucundissimamque Præsentiam penitus exultamus: unaque nobiscum exultant bonæ Artes omnes, omnesque cum amœniores, tum severiores Disciplinæ. & exultant Juvenes omnes, qui Sapientiæ amore incensi huc convenerunt, liberalibus studiis operam daturi: cum in Te, ut perpetuo Tua in vetustissima, spendidissimaque

LOTHA-

Lotharingiæ Domo, Muſas tamquam ſua in Regia ſedem collocaſſe, cuncti ſuſpiciamus: ac plane credimus, Nos, Noſtroſque Adoleſcentes Regale Tuum, Auguſtumque Patrocinium cumulatiſſime eſſe experturos dum interim Nos labores noſtros omnes Regiæ Celsitudini Tuæ dicamus, Tuoque imperio ſubjicimus. ac,

** Cum tot ſuſtineas, & tanta negotia ſolus,*
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes, in publica commoda peccem,

ſi modo eximias, & pene divinas cum animi, tum ingenii Tui dotes, virtuteſque, quæ res mihi gratiſsima eſſet, velim commemorare.

* Hor. lib. 2. Epiſt. 1.

AD REGIAM CELSITUDINEM

MARIÆ TERESÆ
ARCHIDUCISSÆ AUSTRIÆ
ET MAGNÆ DUCISSÆ ETRURIÆ

Eamdem ob caussam Gratulatio &c.

REGIA CELSITUDO.

Optatissimus Adventus Tuus totam jam suis e sedibus Etruriam excivit, Tibique obviam omnes prodierunt, TE AUGUSTAM PRINCIPEM IMPERATORIS AUGUSTISSIMI Filiam conspecturi. Atque ubi Te conspexere, proh Superi! qua Tui omnes, Tuarumque præstantissimarum cum corporis, tum animi dotium, virtutumque capti admiratione fuerunt, & quam sibi gratulati sunt universi, Tibi, Tuoque suavissimo, sapientissimoque imperio se esse parituros! Nostra quoque Academia lætitia exultat, triumphatque gaudio, cum præsertim norit, quam liberalibus Ipsa quoque disciplinis instructa sis, & quam miro Sapientiæ, & litterarum amore tenearis: ac cum tot Linguas calleas, Germanicam, Gallicam, Italicam, Latinam, totidem Te Corda habere gloriari potes, quemadmodum olim Ennius gloriabatur, tria se corda habere, quod Oscam, Græcam, Latinam linguas teneret. Quæ Tua inter Corda, TERESA AUGUSTA, Nostrum quoque Tui, Tuæque gloriæ, & incolumitatis studiosissimum Cor, pro ea, qua es,

cle-

clementia, referre, ne dedigneris: finafque, cum Poeta, ego canam. [a]

O quam Te memorem PRINCEPS! *namque haud tibi vultus*
Mortalis, nec vox hominem fonat. O Dea certe.
An Phœbi foror? an Nympharum fanguinis una?
Sis felix, noftrumque juves quæcumque laborem.

Votaque addam.

Neftoris, & Priami Conjunx tecum Inclytus [b] *annos*
Exigat, & pulchra faciat Te prole parentem,
Innumeraque.

Quam ex animo Vobis Catulli verbis auguror. [c]

Ille pulveris Erythræi,
Siderumque micantium
Subducat numerum prius,
Qui Veftri numerare vult
Multa millia ludi

Ut ita non Etruriæ modo Noftræ, atque Italiæ, fed & Romani Orbis univerfi tranquillitati, & fecuritati profpiciatis.

a Virg. Æn. lib. 1. b Id. ib. c Epith. Juliæ & Mallii.

AD

AD SERENISSIMAM CELSITUDINEM

CAROLI HENRICI
DE LOTHARINGIA FRATRIS
MAGNI DUCIS

Gratulatio Habita &c.

CELSITUDO SERENISSIMA.

EXprimere verbis non possum, quo Academia Nostra gaudio, Tuum etiam ob Adventum, auspicatissimum illum quidem, optatissimumque, adfecta est, cum Te PRINCIPEM Sapientissimum PATRONUM NOSTRUM Optimum, præsidium, & dulce decus futurum, speremus. Quod si adsequamur, ego sane Tuas, Augustæque Tuæ Domus laudes celebraturus,*

Jam Dædaleo ocior Icaro
Visam gementis litora Bosphori,
Syrtesque Gætulas canoras
Ales, Hyperboreosque campos.

Me

* Hor. lib. 2. od. 20.

Me Colchus, &, qui dissimulat metum
Marsæ cohortis, Dacus, & ultimi
Noscent Geloni, me peritus
Discet Iber, Rhodanique potor.

Interea vero, PRINCEPS SERENISSIME, Te Deus Optimus Maximus magis, magisque fortunet, & ad summa quæque natum ad summum gloriæ fastigium, quod mereris, Te quamcitissime evehat.

AD SERENISSIMAM CELSITUDINEM

EMMANUELIS MAURITII

DE LOTHARINGIA PRINCIPIS D'ELBEUF, &c.

CELSITUDO SERENISSIMA.

ADventus etiam Tuus, Tuusque conspectus jucundissimus, PRINCEPS SERENISSIME, reficit Nos, recreatque: ac plane confidimus, Tuo quoque celsissimo ab Patrocinio Academiam Nostram uberrimos esse fructus relaturam. *

Mecænas Atavis edite Regibus
O & præsidium, & dulce decus meum.

F I N I S.

* Hor. lib. 1. od. 1.

98 01 1685